

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

190

188

194

184

199

179

239

139

289

089

Ende

Anfang

179

cos mercatorum paene deserta est, nec in domibus adhuc stantibus sunt habitatores.

Haec civitas a tempore S. Marci evangelistae, qui primus ibi fuit episcopus, usque ad tempus, quo eam detinent Saraceni, fuit abyssus virorum sanctorum litteris et moribus pollutum, de quibus postea pauca dicentur. Sicut autem fuit principium quodammodo religionis, sic et principium fuit fidei desolationis, regnante enim et saeviente Machometo orta est seditio in Alexandria inter cives et graecos mercatores, contra quos cives Alexandrini invocaverunt Machometi adjutorium, qui eos a Graecis liberavit suaeque ditione subdidit, et Christi fidem intulit (abstulit?) Nam patriarcha Alexandrinus, Dioscorus, primus fuit inter ecclesiasticos praefatos, qui Machometo consensit seque spurcissimae legi subdidit et totam Aegyptum et patriarchatum totum perdidit, a quo aliae mundi partes sunt infectae. De quibus esset longus tractatus, si quis de his scripta narrare vellet. Et tantum de Alexandria.

Descriptio vel circumscriptio regionis Aegypti, et de mirabilibus ejus, de ritibus, scholis, scientiis ibi inventis, de duplii Aegypto, et aliis.

Aegyptus, regio celeberrima, codicibus poëtisantium, philosophantium et theologisantium saepissime inserta, nominata et plurimum commendata (Hermes Trismegistus, Aegyptius, ad Asclepium, dicit esse imaginem coeli et translationem omnium, quae geruntur in coelo, ut Augustinus de civitate Dei Libro VIII. C. 23. habet) nunc loco ultimo transmarinarum regionum venit describenda. Quamvis enim ex supra dictis de Nilo et de civitatibus satis pateat qualitas illius regionis, tamen in generali aliqua omissa ibi ponentur.

Itaque regio illa primo dicebatur Aërea, forte propter singularissimam aëris illius serenitatem; saepe enim ibi astra lucent nec obtenguntur nubibus nec obtenebrantur nebulis nec obfuscantur vaporibus aut pluvias aut nivibus, sed perpetua serenitate aër rutilat et micantia sidera semper cernuntur, et propter eam causam dicunt studium astrologiae ibi esse primo inventum. Se-

12 *